

ejus quod non dicit. Sicut species superioris Angeli differunt ab speciebus inferiorum, etiam circa idem objectum, et species albi ut est in oculo differt ab specie ejusdem albi in imagine sua. Neque etiam cogimur ponere species supernaturales quoad substantiam repræsentantes res naturales, verbi gratia, equum, aut hominem; si enim tales sunt supernaturales quoad substantiam quando directe, et primo repræsentant rem naturalem, si tamen repræsentent rem naturalem quasi in connotato, et obliquo, verbi gratia, hominem in quantum est subjectum gratiæ, gratiam autem primo et per se, tunc non repugnat per species, quæ sunt supernaturales quoad substantiam repræsentari rem naturalem ut subordinatam supernaturali, et tunc manifeste tales differunt a speciebus acquisitis.

XLIV. Si autem repræsentent rem naturalem directe, et primario, quam etiam repræsentant species acquisitæ, verbi gratia, hominem, aut equum, adhuc differre possunt essentialiter a speciebus acquisitis, sive per accidens infusis ex diverso modo essentiali tendendi in talia objecta, quia species acquisitæ adæquantur ipsis rebus a quibus hauriuntur; species autem per se infusæ excellentiori modo repræsentant, quia repræsentant ut derivatæ, et ab ideis exemplatæ divinis. Sicut modo differunt species quæ infunduntur animæ separatæ ad cognoscendas res naturales ab illis, quas mediante phantasmate abstrahimus ab objectis.

ARTICULUS III.

Utrum scientia naturalis propriis actibus fuerit a Christo acquisita?

I. Duplex in hac parte insinuat difficultas, altera de ipsa re, an

Christus Dominus vere acquisierit hanc scientiam propriis actibus; altera circa rationem S. Thomæ, qua probat acquisivisse hanc scientiam propriis actibus: «Neintellectus agens esset frustra;» an vero ista ratio efficax sit.

II. Circa primum nonnulli auctores existimarunt Christum Dominum habuisse hanc scientiam per accidens infusam, licet ex diversis motivis, nam aliqui ex eo, quod putabant scientiam infusam, et acquisitam non distingui, quando versantur circa idem objectum, id dixerunt: et in hunc modum dicendi inclinatur Durandus in III, distinct. XIV, quæst. IV, et Gabriel ibidem quæstione unica, articulo tertio, dubio primo. Quidam etiam citant Scotum, sed de ejus mente non ita constat in hac parte; alii autem simpliciter, et absolute docent scientiam naturalem fuisse per accidens infusam in Christo, ne aliquando careret hac perfectione; quæ videtur esse sententia sancti Bonaventuræ in III, dist. XIV, art. III, quæst. II, in corpore, et ad secundum.

III. Et videtur etiam esse plurimum auctorum tempore S. Thomæ, quam et ipse tenuit, ut refert hic articulo quarto, et infra quæst. XII, articulo primo, qui dicebant Christum non habuisse scientiam acquisitam secundum modum humanum, et ex parte causæ agentis, id est, quod modo humano, et per intellectum agentem acquireretur; non vero omnino explicabant, an daretur aliquis habitus distinctus ab habitu per se infuso, quasi duo habitus infusi essent in Christo, alter per se, alter per accidens, qui esset ejusdem speciei cum acquisito, et solum differret ex parte causæ efficientis; sed magis insinuat S. Thomas non posuisse nisi habitum per se infusum, nullum vero acquisitum.

IV. Tandem vero pater Suarez

hic disput. xxx, sect. II, distinxit inter cognitionem quasi scientificam, et quasi experimentalem, et dicit quod scientia naturalis quoad habitus, et species necessarias ad cognitionem scientificam, et demonstrativam fuit per accidens infusa Christo ab initio suæ conceptionis. Scientia vero experimentalis fuit propriis actibus acquisita, non solum ex parte sensuum, quia de novo experiebatur sensitiva cognitione objecta, quæ ante non sentiebat, sed etiam ex parte intellectualis cognitionis, quia de novo intellectus experiebatur aliqua objecta. Et quia aliis difficile visum est, quod intellectus de novo acciperet cognitionem experimentalem, non accipiendo species; si autem illas accipiebat, superflue ponebantur infusæ per accidens, dixerunt Christum Dominum habuisse hanc scientiam per accidens infusam quantum ad habitum, qui est lumen, seu inclinatio habitualis ad cognitionem elicendam: at vero quantum ad ipsas species fuisse propriis actibus a Christo acquisitam.

V. Omissis autem rationibus Durandi, quæ procedunt ex præsuppositione, quod scientia infusa, et acquisita sunt ejusdem speciei, et sic non possunt esse simul in eodem subjecto, variis rationibus hanc sententiam amplificat Suarez, sed totum fere pondus rationum reducit ad hoc, quod pertinebat ad perfectionem animæ Christi habere hanc scientiam perfectam, et non decuit aliquo tempore tali perfectione carere, nec talis carentia congruebat operi redemptionis. Hoc autem sic probatur: Primo, quia Christus Dominus secundum scientiam naturalem cognoscebat substantias separatas, et substantiam animæ suæ eo modo, quo anima separata seipsum cognoscit; quæ cognitio independenter a sensibus ha-

betur, et consequenter anima Christi, ut animas separatas intelligeret, debuit habere infusas: species quod si habuit respectu substantiarum immaterialium, cur non respectu materialium? De utrisque enim accipit anima separata species naturales.

VI. Secundo, quia Christum nulla decuit ignorantia, aut privatio scientiæ naturaliter debitæ, etiam pro brevissimo tempore; licet enim homini naturale sit procedere ab imperfecto ad perfectum, tamen in Christo magis attendendum est ad debitum connaturale ipsi ministerio, et dignitati ad quam est elevatus, quam ipsi humanitati secundum principalia naturalia considerata. Ille autem connaturalis processus de imperfecto ad perfectum supponit imperfectionem ignorantiam in ipsa naturali scientia; talis autem imperfectio non erat necessaria fini redemptionis, sicut aliæ imperfectiones corporales fuerunt; ergo attendendo ad finem redemptionis, et ad dignitatem ministerii non decuit Christum illam imperfectionem assumere.

VII. Tertio, quia non decuit, quod Adam ex eo quod erat caput generis humani, careret aliquo tempore scientia naturali, ut eam acquireret propriis actibus, quia licet ille modus sit connaturalis naturæ humanæ, tamen in primo capite magis attenditur perfectio congrua dignitati capituli, quam communis modus perfectionis naturæ; ergo similiter in Christo, qui erat caput et superior ipso Adam, et tota natura, debuit poni illa perfectio scientiæ naturalis sine hoc quod careret aliquo tempore illa, non obstante, quod modus connaturalior humanæ naturæ est acquirere illam propriis actibus, quia id non est connaturalius capiti naturæ.

VIII. Neque obstat, quod habebat

Christus alias scientias, ratione quarum non erat simpliciter ignorans, quia neque etiam in scientia naturali debuit esse inferior Adamo, et simpliciter esse imperfectus carente modo connaturali cognoscendi.

IX. Quarto, id urgetur in virtutibus moralibus, quos habuit Christus Dominus per accidens infusas, ut supra admisimus quæstione VII, articulo III, quia melius erat nunquam carere illis: ergo idem dicendum est de virtutibus intellectualibus, saltem quantum ad ipsum habitum scientiæ, dato quod quantum ad species non infunderentur sibi a principio, sed acquirerentur ministerio sensuum. Consequentia patet; tum, ex paritate rationis; tum, quia positus virtutibus moralibus, debuit poni prudentia, quæ est illarum directiva; hæc autem cum rectificat cognitionem practicam, et omnis cognitio practica oriatur ex speculativa, quæ fit per habitus scientiarum, et virtutum intellectualium; præsertim quando prudentia est perfecta, sicut debuit esse in Christo; ergo scientiæ naturales fuerunt ei infusæ sicut prudentia.

X. Denique arguitur pro hac parte: Quia non est dubium, quod scientia naturalis, sive propriis actibus fuerit a Christo acquisita, sive per accidens infusa, debuit esse perfectissima, neque inferior ad scientiam, quam habuit Adam, vel Salomon, et consequenter debuit intelligere omnia objecta, quæ ministerio sensuum possunt cognosci, si eis proponantur; ad hoc autem, quod omnia proponantur Christo, debent fieri non minus extraordinaria miracula, quam si per actus infundantur species: ergo compendiosius ponitur hæc scientia per accidens infusa, ne cogamur illam ponere imperfectam in Christo, scilicet longissimo tempore acquisitam.

XI. Assumptum ostenditur, quia sunt plurima sensibilia, quæ sensibus hominum non objiciuntur, eo quod homo non potest illis esse præsens, ut omnes species piscium, qui sunt in profundo maris; omnia, quæ generantur intra viscera terræ, vel quæ in aere fiunt intra, vel extra nubes; omnes stellæ cœli, et similia; quæ si Christus ignoravit per hanc scientiam, valde diminutam illam habuit, et non sicut decuit ei, qui erat caput: si autem cognovit, utique perfecte debuit cognoscere: quomodo ergo fuerunt illa sensibus objecta, ut proprias eorum species, et cognitionem hauriret? Nam quod ministerio Angelorum non fuerint adducta sensibilibus ad Christum, vel Christus ad illa adductus, inde facile convincitur, quia stellæ cœli non poterant adduci ad Christum, ut omnes videret. Quomodo etiam omnes pisces maris, vel omnia metalla terræ fuerunt Christo adducta, et illi repræsentata? Multo minus fuit Christus ad ea adductus, verbi gratia, ad omnia profunda maris, et terræ, ad immensitatem cœli, etc. quis enim hæc non tam fictitia rejiciat, et miraculis superfluis plena?

XII. Quod etiam non sufficeret Christo unum individuum sensibus videre, ut inde alia similia cognosceret, et ejus effectus comprehenderet, ut insinuat S. Thomas infra quæstione XII, articulo primo, inde convincitur, quia sic multa non intelligeret Christus perfecte, et per proprios conceptus, sed ad similitudinem aliorum, quia nec Angelus, qui naturali virtute excedit naturalem vim animæ Christi, potest per speciem unius substantiæ perfecte cognoscere speciem alterius, aut sola specie cœli omnes ejus effectus comprehendere; cum enim species rerum non sint similes differentiis, quibus specialiter constituuntur,

sed in generica natura in qua conveniunt, ex vi similitudinis solum potest cognosci illud commune in quo conveniunt, non vero proprietas illa in qua differunt.

XIII. Ac denique ex directione, et confortatione scientiæ infusæ non poterat Christus hæc omnia per scientiam naturalem intelligere, quia scientia infusa non poterat supplere propria principia scientiæ naturalis, verbi gratia, proprias species illius, aut proprium lumen, quia id quod præstare potest scientia infusa solum esset supernaturale, saltem quoad modum, quod non est accommodatum acquisitioni scientiæ naturalis. Facilius ergo est ponere hanc scientiam infusam per accidens, quam tot inconvenientia, et miracula devorare.

XIV. Circa secundam difficultatem, scilicet, quomodo sit efficax ratio S. Thomæ, quæ illi propositioni innititur: Quod non debuit otiosa esse in Christo potentia intellectus agentis, esset autem otiosa si non abstraheret species intelligibiles, sed illas supponeret per accidens infusas, quia hoc est proprium munus intellectus agentis.

XV. Contra hanc rationem instat Scotus, quia etiam intellectus agens fuit in Adam, et in beatis; et tamen non frustra, licet non abstrahat speciem a phantasmatibus; sicut etiam nutritiva non est frustra in beatis, licet non reducat in actum.

XVI. Deinde instat Cajetanus: Quia officium intellectus agentis non est solum abstrahere species, sed etiam illustrare principia, ut illis utatur intellectus, et ita licet non servierit in Christo pro primo officio abstrahendi species, potuit servire pro secundo, quantum ad usum illarum, et illustrationem principiorum.

XVII. Tertio instat Vazquez disp.

LV, cap. III: Quia difficile, et arduum est in philosophia probare, quod intellectus agens distinguatur a possibili; si autem non distinguuntur, ruit probatio S. Thomæ, quia non continuo erit frustra illa potentia in Christo, si non ad effectum intellectus agentis, saltem ad effectus intellectus possibilis.

XVIII. Deinde instat Durandus: Quia non decuit Christum acquirere scientiam per disciplinam ab alio homine, sive Angelo docente: ergo neque ab ipsis rebus species abstrahendo, quia sic addisceret a rebus, et penderet ab illis, ut discipulus a magistro.

RESOLUTIO DUBII.

XIX. Nihilominus defendenda est sententia S. Thomæ, ejusque ratio, et fundamentum, nam hic maxime currit necessitas defendendi rationem istam, quæ ita valida judicata est a S. Thoma, quod propter ipsam mutaverit sententiam, quam alibi renuit, ut ipse perspicue fatetur hic articulo quarto, et infra quæstione XII, articulo II. Quare si hoc fundamentum reputatur inefficax, periclitatur sine dubio iudicium S. Thomæ, quia censebitur ex levi motivo sententiam mutasse. Unde miror magistrum Alvarez hic disp. LIII, solutione ad primum, affirmare, quod sine fundamento dicitur S. Thomam retractasse sententiam, quam tenuit in III, disp. XIV. Quomodo enim sine fundamento dicitur, id quod perspicue asserit sanctus doctor hic articulo quarto, dum inquit: « Et ideo quamvis aliter alibi scripserim, dicendum est in Christo fuisse scientiam acquisitam, quæ proprie scientia est secundum modum humanum, etc. » ubi constat retractasse sententiam, quam tenuit, simulque suam explicasse, quod non solum

habuerit experimentalem notitiam per sensus acquisitam, sed etiam scientiam, quæ proprie scientia est.

XX. Quo verbo exclusit S. Thomas sententiam patris Suarez, ponentis infusam esse per accidens Christo scientiam, quantum ad habitum, et species necessarias ad demonstrationem rerum faciendas, licet non quoad experimentalem cognitionem, et sententiam aliorum, qui ponunt habitus scientiarum naturalium infusos fuisse a Deo sed non species intelligibiles; utrumque enim excludit S. Thomas dicens, acquisivisse scientiam, quæ proprie scientia est; hæc enim supponit pro habitu demonstrativo, non pro speciebus, nec pro experimentali cognitione.

XXI. Quod expressius infra quæst. XII, art. II, explicavit S. Thomas, dum inquit: « Quod scientia hæc in Christo non solum fuit augmentata secundum experientiam, id est, conversionem specierum intelligibilium inditarum ad phantasmata, sed etiam secundum essentiam extrahendo ipsas species intelligibiles a phantasmatibus, et postmodum alias, et alias, etc. » Quare contra expressam sententiam S. Thomæ est dicere, quod Christus habuit has species infusas ab initio, et non abstractas a phantasmatibus; sive quod habuit habitum infusum, et non species, sive quod simul acquisivit omnem perfectionem hujus scientiæ acquisitæ; sed aliquando habuit illam imperfectionem acquirendo aliquas species, deinde profecit acquirendo alias, etc.

XXII. Ut autem pondus rationis S. Thomæ penetretur, est advertendum, quod intentum S. Thomæ est ostendere duo. Primum, quod in Christo fuit scientia acquisita, ut distinguitur contra infusam per se;

secundum, quod fuerit tali modo, et per talem viam acquisita, scilicet ministerio sensuum, non autem infusione per accidens. Et quia de primo dubitabatur apud quosdam, et ipse S. Thomas in hoc mutabat sententiam, utitur ad probandum illud primum, scilicet, quod in Christo fuerit scientia acquisita ex hoc secundo, scilicet, quia tali via debuit illam acquirere, id est, actione intellectus agentis sibi connaturali, et propria, ne esset frustra intellectus agens. Assumit ergo S. Thomas quasi principium notius, quod Christus Dominus habuit talem modum acquisitionis, scilicet, per operationem intellectus agentis abstracti species, ut inde probet, quod habuit scientiam acquisitam. Et ratio quare id supponit tamquam notius est id, quod insinuat in initio corporis articuli quarti, scilicet, quod Christus assumpsit in natura humana quidquid Deus plantavit in tali natura (ut dicit Damascenus) et intelligitur quidquid plantavit, etiam quantum ad modum, et statum connaturalem; hoc enim intelligitur sub illa universali quidquid plantavit; unde omnes potentias talis naturæ assumpsit secundum connaturalem modum operandi talium potentiarum: connaturalis autem modus, et status naturarum considerari potest, sive secundum modum, quem habuit natura in principio suæ creationis, sive secundum modum quem habet in communi cursu rerum, juxta primam creationem.

XXIII. In prima quidem creatione necessarium fuit, quod omnes potentia haberent actus connaturales, quos modo habent, quia Deus produxit in prima creatione naturas perfectas, non solum ut essent in se ipsis, sed etiam ut essent aliorum principia in esse naturali, ut optime advertit S. Thomas 1 part. quæst.

xciv, art. III. Qua ratione dicitur Genesis primo, quod produxit terra herbam virentem, lignumque pomiferum faciens fructum, juxta genus suum, quia scilicet ortæ sunt plantæ, ut potentes fructificare, et generare; et similiter animantia, ut potentia crescere, et multiplicare super terram. Quare potentia illæ, quæ datæ sunt ad acquirendum augmentum, et perfectionem naturæ in statu primæ creationis, debuerunt vacare quantum ad hunc actum augmentandi, et perficiendi, quia ab ipso creatore producebantur creaturæ perfecte, ut essent principia cæterorum.

XXIV. Et hac ratione etiam Adam creatus est in corpore perfecto, ita quod potentia augmentativa non potuit ibi exercere actum augendi, sed solum nutriendi, fuitque pro illo statu connaturale, quod augmentativa careret tali actu, et quia homo non solum fuit creatus perfectus in natura vegetativa, sed etiam in naturali, ut posset statim alios instruere, et gubernare, et præesse piscibus maris, et volatilibus cæli, etc.

XXV. Etiam necessarium fuit quod intellectus agens, qui est quasi potentia augmentativa, et perfectiva intellectus in esse intelligibili, carere actu suo, qui est elicere species, quibus intellectus augetur, quia creabatur homo ut perfectum principium aliorum in gubernatione, et instructione scientiæ; et consequenter non ut instruendus, sed ut instructus, sicut in corpore ut augmentatus, et non ut augmentandus. Quo discursu utitur S. Thomas quæstione xciv citata.

XXVI. Status autem connaturalis naturæ, et potentiarum ejus extra principium creationis est, ut potentia augmentativa habeat suum actum augendo ab infima parvitate ad perfectum augmentum: et similiter

intellectus agens habeat suum actum augendi, et perficiendi intellectum speciebus abstractis a phantasmatibus; quia ergo Christus non assumpsit naturam in primo statu, sed in secundo; non in principio creationis, sed in communi cursu naturæ, ideo in naturalibus accepit potentias, sicut eas Deus plantavit pro statu, et connaturali operatione talium potentiarum in communi cursu; atque adeo sicut assumpsit corpus, quod paulatim crevit per actum augmentativæ virtutis, sic assumpsit animam, quæ paulatim profecit in esse naturali per actum intellectus agentis; utrumque enim evangelista conjungit dicens: *Et Jesus proficiebat ætate, et sapientia, etc.* quasi perfectus corpore secundum ætatem, et perfectus secundum sapientiam in naturalibus habuerit inter se correspondentiam, et similitudinem.

XXVII. Quia tamen Christus datus est, ut supremum caput in genere supernaturali, ideo in isto genere statim a principio habuit summam perfectionem, tam in scientia beata, quam infusa, secundum quam etiam cognovit ea, quæ lumine intellectus agentis attingi possunt, ut docet S. Thomas infra quæst. XI, articulo primo, quia omnia naturalia subjecta illi sunt ut supremo Domino, non tamen ut capiti in esse naturali, sed supernaturali; et ideo in supernaturali modo scientiæ statim fuit perfectus; in naturalibus autem quia venit ut descendens ab Adam, non tamen ut primum principium humanum in esse naturæ, ideo debuit assumere naturam, et ejus potentias in connaturali statu quem habent post primam creationem in communi rerum cursu. Et in hoc statu currit ratio facta a D. Thoma et explicata optime a Cajetano, quod perfectius est acquirere scientiam eo modo, quo per se est